

introduc̄ta sunt, ut exquisitè inter se distingui, atque Hortulani, aliique Antophili iis pro lubitu uti vel abuti possent, ne aliquid hac quoque in parte omissum videretur.

*Allegata Auctorum* genuina do, atque ea quidem necessariò adhibenda existimavi, ut vocabula *Auctoritate* corroborarentur, & cuilibet ad Auctores evolvendos, remque exactius perquirendam potestas daretur, egoque hac in parte excusarer de omni fastu & propria jactantia, tanquam omne, quod scripsi, solùm ex cerebro meo esset progenitum, quod in quibusdam Scriptoribus & Historicis, aliisque meritò taxandum. Certè *Auctoritas legitime citata*, *Historie* omnis & alterius rei vita est.

*Descriptiones Plantarum* nullas exposui, nec *Loca Natalia* adduxi, quia *Index* hic est tantùm eorum Nominum & Auctorum, apud quos *Descriptiones* & vires quærendæ. Parcius autem ex *Dioscoride*, juxta versionem *Gazæ*, virtutes Herbarum in genere saltem adposui, ut cuilibet elegendi vires, juxta sua ipsius experimenta, arbitrium esset.

Postremùm immiscui quasdam etiam Plantulas, quondam in juventute à me in *Borussia*, *Marchia Brandenburgica*, *Italia*, & aliis *Europa Regionibus* & *locis* deprehensas, atque observatas, nec ab ullo, quantum constat, descriptas, quarum *Pugillum* Mantissæ vel Appendicis loco, intertextis quibusdam *Brasilie Plantis* à Claris: *Guiliel. Pisoni* & *Marggravio* nondum editis, nec adnotatis, sed quæ continentur in *Theatro Rerum Naturalium Brasilie*, quod in *Bibliotheca Electorali Brandenburgica* asservatur, & cum aliis nonnullis, *Indici* huic adjunxi. Plura qui desiderat novisse, quæ circa unamquamque Plantam occurrunt, Auctores, & inter eos *Johannis Bauhini Universam Plantarum Historiam*, & alios, qui fusius ea de re scripserunt, adeat. Sunt erga hòc *Indice Nomina* tantum *Plantarum*, tot seculis in hunc usq; diem ab omnibus, tanquam usitatissima, recepta, instar *fasciculi* in unum collecta, ut eorũ recordatio apud *Posterios* tam diu vigeret, donec Clarior quidam Medicus exsurgat vel *Apollo*, qui abrogatis veterum quibusdam & recentiorum nugis, locò earum introducat *Nova Plantarum Nomina*, formà tam externà, sive *Generibus* & *Speciebus*, quàm internã *Virtutibus* suis respondentia. Tu interea *Indicem* hunc *Botanicum*, à me quidem adornatum & perfectum, à *Filio* verò partim ex optimis *Auctoribus* compilatum & (quod evitari non poterat) variis transcribentium & literas transponentium Sortibus quandòque mendosum, in Specimen non planè nullum laboris eruditi, à *Filio* peracti, benevolè suscipe, atque in *Usus* tuos liberaliter converte,

& Benè Vale.

Elen-